

*Slednikov A.*

**"Legere, id est intel-legere docere":  
De Nicolao Fedorov clarissimo  
professore Moscoviensi nonagenario**

[Stable URL: <http://elar.uniylar.ac.ru/jspui/handle/123456789/3673>]

**[Публикация работы:]**

*Slednikov A.* 2015: "Legere, id est intel-legere docere": De Nicolao Fedorov clarissimo professore Moscoviensi nonagenario // *Vox Latina*. Т. 51, 443-450.



НАУЧНО-ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ  
ЦЕНТР АНТИКОВЕДЕНИЯ  
ЯРОСЛАВСКОГО ГОСУДАРСТВЕННОГО УНИВЕРСИТЕТА  
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА  
ЯРОСЛАВЛЬ, РОССИЯ

THE SCIENTIFIC & EDUCATIONAL  
CENTRE FOR CLASSICAL STUDIES  
AT YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY  
YAROSLAVL, RUSSIA

DAS WISSENSCHAFTLICHE FORSCHUNGS- UND  
STUDIENZENTRUM FÜR DIE GESCHICHTE,  
KULTUR UND RECHT DER ANTIKE  
DER STAATLICHEN DEMIDOW-UNIVERSITÄT JAROSLAWL  
YAROSLAWL, RUSSLAND

РОССИЙСКАЯ АССОЦИАЦИЯ  
АНТИКОВЕДОВ  
RUSSIAN SOCIETY OF CLASSICAL STUDIES



НАУЧНО-ИССЛЕДОВАТЕЛЬСКИЙ И  
ОБРАЗОВАТЕЛЬНЫЙ ФОНД  
«ЦЕНТР ИЗУЧЕНИЯ РИМСКОГО ПРАВА»  
ЯРОСЛАВСКИЙ ФИЛИАЛ  
THE RESEARCH AND EDUCATIONAL FOUNDATION  
"THE CENTRE FOR ROMAN LAW STUDIES"  
YAROSLAVL BRANCH




ЯРОСЛАВСКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ  
ИМ. П.Г. ДЕМИДОВА  
YAROSLAVL DEMIDOV STATE UNIVERSITY

## «LEGERE, ID EST INTEL-LEGERE DOCERE»

*De Nicolao Fedorov*

*clarissimo professore Moscoviensi nonagenario*<sup>1</sup>

Die 27<sup>o</sup> m. Apr. a. 2015<sup>o</sup> in aedibus Academiae Moscoviensis Lomonosovianae celebratum est anniversarium nonagesimum Prof.ris D.ris Nicolai Fedorov utriusque linguae grammatici magni nominis, Academici magistri peritissimi virique humanissimi. Confluentibus autem nonnullorum saeculorum collegis, amicis familiaribusque ipse una cum uxore Prof.rice D.rice Catharina Fedorova contioni praeesse valebat. Multae tum in cenatione florulenta orationes laudativae quam Russice tam Latine dicebantur ab eis compluribus, qui quaeve ipsius discipuli discipulaeve olim factae nunc vero non tantum varias artes liberales, sed hodiernam omnino Russorum humanitatem si dicam, vix errem, promovent ...



*Prof. Dr Nicolaus Fedorov.*

Nicolaus Fedorov, Alexii Fedorov Nicolai f., viri in publicorum redituum administratione versati, et Zenaidis Fedorova Michaelis f. (e gente Romanov) parentum coniugio iunctorum filius unicus, Moscoviae die 16<sup>o</sup> m. Apr. a. 1925<sup>o</sup> natus est.<sup>2</sup> Ibidem annis 1933-1944 duas scholas (primam Moscoviae, alteram Casani, quo familia saeviente secundo bello mundano migrare coacta esset) frequentavit. Aetate puerili theatrum cum ludis Constantini Stanislavii et Valdemari Nemirovich-Danchenko novit, at melodramatio tantopere delectatus est, ut illo tempore actor melodramaticus fieri vellet. Sed post

- 
- 1 Gratias plurimas maximasque ago Prof.rici D.rici Catharinae Fedorova Sergii f. et D.rici Spei Malinauskene Cassimi f., quae instrumentis biographicis photographematibusque sublatis ad hanc commentariolum conscribendum maxime contulerunt. Dictum autem, quod hic affero, depromptum est de titulo colloquii percontativi cum Nicolao Fedorov a. 2004<sup>o</sup> habiti. *Cfr* «Nauchit' chitat', to est' ponimat'». Intervyu s N.A. Fyodorovym. *In*: Discipuli Magistro: K 80-letiyu N.A. Fyodorova. Moskva 2008, p. 558.
  - 2 Curriculum vitae Nicolai Fedorov descriptum continetur collectaneis, quae in diem natalem eius nonagesimum composita sunt. *Vide*: Ekaterina Fedorova (ed.): *Ars docendi - iskusstvo nauchit'*. Sbornik k 90-letiyu latinista Nikolaya Alexeevicha Fyodorova. Moskva 2015.

scholam finitam eodem anno 1944<sup>o</sup> Academiae Moscoviensis Facultatem philologiae Russicae intravit,<sup>3</sup> ubi inter alias disciplinas etiam praelectiones de antiquitate Graeca et Latina habebantur. Harum lector, Anatolius Bokshchanin nomine,<sup>4</sup> Graecorum Romanorumque cultus atque humanitatis defensor acerrimus, eloquentiā studiosorum studiosarumque animos permovere sciebat. Itaque Nicolaus a familiari et patrono suo Alexio Dzhivelegov,<sup>5</sup> qui non modo propositum eius approbavisset, sed etiam nonnulla Homeri, Herodoti, Livii opera necnon lexica quaedam ei dono donavisset, persuasus in Academiae Scholam utriusque linguae grammaticorum feliciter migravit. Eius magistri Academici erant Sergius Radtzig,<sup>6</sup> Paulus Shendyapin,<sup>7</sup> Constantinus Meyer,<sup>8</sup> Alexander Popov.<sup>9</sup> Absoluto autem anno 1949<sup>o</sup> curri-

- 
- 3 In suprafato colloquio percontativo se de Athenaeo quoque archivonomico deque Facultate iuridica deliberavisse narrat.
- 4 Anatolius Bokshchanin Georgii f. (a. 1903 - a. 1979) fuit professor antiquitatis Graecae et Latinae in Academia Moscoviensi, qui in historiam rerum politicarum Imperii Romani saeculo primo p.Ch.r.n. necnon commercia inter Romanos et Parthos investiganda praesertim incubuit.
- 5 Alexius Dzhivelegov Carpi f. (a. 1875 - a. 1952) fuit historicus artium et interpres, qui in urbem Europae mediae aetatis atque humanitatem Renascentiae inquisivit. Multam in edita a Brockhaus et Efron encyclo disciplina componenda operam consumpsit Poggiique Bracciolini facetias in Russicum vertit.
- 6 Sergius Radtzig Iohannis f. (a. 1882 - a. 1968) fuit professor philologiae classicae in Academia Moscoviensi, qui litteras Graecas Latinasque et philologiae classicae initiis docuit, de Graecorum Romanorumque mythologia, Graecorum litteris, philologiae classicae initiis libros composuit, undeviginti orationes Demosthenis et Aristotelis Atheniensium politiam in Russicum vertit.
- 7 Paulus Shendyapin Matthaei f. (a. 1889 - a. 1949) fuit doctor philologiae classicae in Academia Moscoviensi, cuius (coautore Alexandro Popov) doctrinale linguae Latinae laudatum est quinque editionibus. Eum, cum ineunte saeculo vicesimo in septimo gymnasio Moscoviensi utramque linguam doceret, inter ceteros discipulos etiam Anatolium illum Bokshchanin erudivisse memoratu dignum est. *Cfr* Beatrisa Khodorkovskaya: Pavel Matveevich Shendyapin. *In*: Marina Slavyatinskaya (ed.): Dvoynoy portret - II. Filologi-klassiki o filologakh-klassikakh. Moskva 2012, p. 170.
- 8 Constantinus Meyer Rodulfi f. (a. 1884 - a. 1963) Academiae Moscoviensis socius fuit; plura de eo vide hic: Nikolay Fyodorov: Konstantin Rudol'fovich Meyer. *In*: Marina Slavyatinskaya (ed.): Dvoynoy portret - II. Filologi-klassiki o filologakh-klassikakh. Moskva 2012, p. 240-243.
- 9 Alexander Popov Nicolai f. (a. 1881 - a. 1972), doctor paedagogiae, ab anno 1968<sup>o</sup> ad annum 1972<sup>um</sup> fuit procurator Stationis utriusque linguae grammaticorum in Academia Moscoviensi. Praeter compendium grammaticae Graecae aliaque opera una cum collega suo Paulo Shendyapin perutile linguae Latinae doctrinale composuit.



*Nicolaus Fedorov discipulus.*

culo artium usque ad annum 1952<sup>um</sup> summos duce Prof.re Sergio Radtzig honores doctoris petivit, sed dissertationem de progressionibus verborum aestheticorum apud Ciceronem<sup>10</sup> variis ex causis anno 1981<sup>o</sup> tantum finire potuit.

Porro ab anno 1952<sup>o</sup> in Statione utriusque linguae grammaticorum munere magistri Academici functus est. Per sexaginta annos docendi multa conscripsit opera didactica, inter quae maximi momenti sunt doctrinale linguae Latinae (coautrice collega Valentina Miroshenkova, a. 1924<sup>o</sup> - a. 1991<sup>o</sup>) undecies editum,<sup>11</sup> deinde chrestomathia auctorum Romanorum (eadem coautrice),<sup>12</sup> item chrestomathia auctorum Graecorum (duorum voluminum, eadem coautrice),<sup>13</sup> postremo chrestomathia scriptorum mediae aetatis et Renascentiae.<sup>14</sup> Varios praeter

labores academicos cottidie quotannisque exhibitos in scripta omnium vero Latinitatis saeculorum ad mentes Russorum accomodanda magnis cum progressibus incubuit vertitque Ciceronis de finibus bonorum et malorum,<sup>15</sup> paradoxa stoicorum,<sup>16</sup> academicos libros,<sup>17</sup> Iulii Caesaris Scaligeri,<sup>18</sup> Francis-

---

10 Russice: «Stanovleniye esteticheskoy lexiki Tsytserona».

11 Valentina Miroshenkova / Nikolay Fyodorov: Uchebnik latinskogo yazyka. Moskva 1968, <sup>11</sup>2013.

12 Nikolay Fyodorov / Valentina Miroshenkova (ed.): Antichnaya literatura. Rim: Khrestomatiya. Moskva 1981, <sup>4</sup>2003.

13 Nikolay Fyodorov / Valentina Miroshenkova (ed.): Antichnaya literatura. Gretsiya: Khrestomatiya. Moskva 1989, <sup>2</sup>2002.

14 Nikolay Fyodorov (ed.): Khrestomatiya po latinskomu yazyku. Sredniye veka i Vozrozhdeniye. Moskva 2003.

15 Mark Tulliy Tsytseron: O predelakh dobra i zla. Paradoxy stoikov. Moskva 2000.

16 Ibid.

17 Mark Tulliy Tsytseron: Ucheniye akademikov. Moskva 2004.

18 Yuliy Tsezar Skaliger: Poetika. In: N. Kozlova (ed.): Literaturnye manifesty zapadnoevropeyskikh klassitsystov. Moskva 1980, pp. 50-70.

ci Baconis,<sup>19</sup> Leonis Baptistae Alberti,<sup>20</sup> Francisci Philelfi,<sup>21</sup> Laurentii Vallae,<sup>22</sup> Iovianni Pontani,<sup>23</sup> Godefridi Guilielmi Leibnitii,<sup>24</sup> Iohannis Lockii<sup>25</sup> Petrique Gassendi<sup>26</sup> opera diversa, Michaelis von Albrecht de simia Heidelbergensi.<sup>27</sup> In praesenti teste uxore scriptis Sancti Ambrosii episcopi Mediolanensis in Russicum vertendis studet.

De eius peritia docendi scribit Gregorius Dashevskij unus discipulorum cum alia tum haec: «Nicolaus Fedorov magister praestantissimus ex quinquaginta et pluribus iam annis maximam ad philologos Moscovienses conformandos habet vim. Eius scholae intellegendi auctores eis, quos quasve umquam docuit in investigationibus incipiendis et in scriptis vertendis, exemplo permanent. Fedorovi eximiã linguae litterarumque Latinarum scientiã, in scriptores Romanos amore, erga philologiam Russicam et theatrum caritate, imprimis tamen eius scaenici artificis ingenio flagrante studiosi studiosaeque quam a molestia ignorandi tam ab illecebra arrogantiae proteguntur, antiquitatem Graecorum Romanorumque cognoscunt viventis Europaeorum humanitatis esse partem individuum.»<sup>28</sup>

Eodem scaenae amore a pueritia commotus exeuntibus annis 1960<sup>is</sup> intra muros Academicos theatrum Latinum condidit. Plauti Mostellaria et Bacchides, Catulli Epithalamium, Hrosuithae Dulcicius a philologiae classicae studiosis ibi exhibebantur canendo loquendo saltando. Versus oratione

---

19 Frensis Bekon: Sochineniya v dvukh tomakh. T. 1-2. Moskva 1971/72.

20 Leon Battista Alberti: Religiya. Dobrodetel'. Rok i Fortuna. In: Lidiya Bragina (ed.): Sochineniya italyanskikh gumanistov epokhi Vozrozhdeniya (XV v.). Moskva 1985, pp. 152-154, 154-156, 156-161.

21 Franchesko Filelfo: Florentiyskiye besedy ob izgnanii. In: Ibid., pp. 110-120.

22 Lorentso Valla: Elegantsyi. In: Ibid., pp. 121-137.

23 Dzhovanni Pontano: Gosudar'. In: Ibid., pp. 290-307.

24 Gotfrid Vilgelm Leibnits: Sochineniya v chetyryokh tomakh. T. 1, 3. Moskva 1982/84.

25 Dzhon Lokk: Sochineniya v tryokh tomakh. T. 3. Moskva 1988.

26 Pyer Gassendi: Sochineniya v dvukh tomakh. T. 2. Moskva 1968.

27 Mikhael fon Albrecht: O geydel'bergskoy obezyane. Sovremennaya latyn' ... = Michael von Albrecht: De simia Heidelbergensi. Liber ad usum discentium linguam Latinam denuo editus. Appendix ad praecepta «linguae humanitatisque Latinae» Ordinis professorum, qui linguas peregrinas et regionum proprietates explorant in Studiorum Universitate Mosquensi Lomonosoviana. Moskva 2013.

28 Cfr Grigoriy Dashevsky: Fyodorov Nikolay Alexeevich. In: Ekaterina Fedorova (2015), p. 6.

demutati haud raro nostratibus quoque modulis popularibus inserti sunt, dum scripta ad ludendum utilia de «Voce Latina» depromuntur. Nonnulla quidem ipse composuit, veluti id quod subiungitur:

Nigri oculi, nigri cupidi,  
Nigri cupidi et pulcherrimi!  
Quantum vos amo,  
Quam vos timeo,  
Nam aspexi vos omine malo!...<sup>29</sup>



*Annuntiatio alicuius comodiae Plautinae  
a participibus theatri Nicolai Fedorov in Germania exhibitae.  
[<http://www.philol.msu.ru/~classic/persons/fedorov/>]*

Cum tandem scaenici inter conventum Chelidoniensem<sup>30</sup> «Εἰρήνη» vocatum anno 1976° gloriam adepti essent, invitatione Germanorum Ienam, Halam,

- 
- 29 Nadezhda Malinauskene: Latinskij teatr Nikolaya Alexeevicha Fyodorova. Pervye shagi. In: Ekaterina Fedorova (2015). Sic populare Russorum canticum c.t. «Ochi chyornye» in Latinum vertit, cfr idem versus intercalaris Anglica versione: *Oh, these gorgeous eyes, dark and glorious eyes / Burn-with-passion eyes, how you hypnotise! / How I adore you so, how I fear you though / Since I saw you glow! Now my spirit's low!...* Quam versionem totam invenies sub: [https://en.wikipedia.org/wiki/Dark\\_Eyes\\_\(song\)](https://en.wikipedia.org/wiki/Dark_Eyes_(song)).
- 30 Chelidonium, -iī n, Anglice Yerevan, est urbs Armeniorum principalis. Vide: Alexey Solopov: *Nachala latinskoy stilistiki = Alexii Scatebrani Ruteni initia eloquentiae Latinae.* Moskva 2008, p. 473.

Lipsiam, Berolinum viserunt. Haud raro Nicolaus Fedorov Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae conventus sessionesque (Bucurestis a. 1970<sup>o</sup>,<sup>31</sup> Lovanii et Antverpiae a. 1993<sup>o</sup>,<sup>32</sup> Matrili a. 2002<sup>o</sup>, Alcannizii et Ampostae a. 2006<sup>o</sup>, Neapoli a. 2007<sup>o</sup>, Segedini a. 2008<sup>o</sup>, Ratisbonae a. 2009<sup>o</sup>, Romae a. 2010<sup>o</sup>) necnon Latinitatis vivae seminaria (Amoeneburgi a. 2010<sup>o</sup>) participavit. Linguae Latinae vivae cultor factus esse videtur iam ex conventu Bucurestiensi, unde reversus pronuntiatum restitutum in Academiam Moscoviensem primum omnium induxit. Cum autem anno academico 1986-1987 in Facultate utriusque linguae grammaticorum scholas Latinitatis vivae instituit, linguae Latinae usum ante decennia in Academia exstinctum feliciter restituit.<sup>33</sup> Cuius eloquentiae exemplum ut afferam, ecce oratiuncula oculis proponitur, quam anno 1971<sup>o</sup> in honorem magistri et collegae sui Alexandri Popov nonagenarii coram utriusque linguae grammaticorum Stationis sociis Latine dixit:

«Viro doctissimo atque amicissimo Alexandro Nicolai f. Popovio philologiae classicae Universitatis Mosquensis cathedra salutem plurimam dicit.

Vir doctissime atque praestantissime multaque doctrina ornatissime! Hoc sollemni die, quo nos collegae commilitonesque tui tibi anniversarium tuum congratulari soliti sumus, summo ac praecipuo gaudio afficimur, cum te nunc eximio atque vere mirabili fortunae favore fruitum fauste feliciterque nonagesimum iam annum vitae tuae peractum celebrantem salutamus.

Hunc summum senectutis gradum adeptus atque animo annorum praeteritorum cursum complectens haud immerito in munere vitae optime expleto gloriari potes. Nam ab ineunte aetate in humana studia incumbens omnem ingenii vim exercuisti acustique avido amore disciplinas colens, quae ad antiquitatis studium pertinent, linguam Graecam atque Latinam studiosissime ferventissimeque perdiscens.

Quibus in studiis excolendis multos, eosque praeclaros, magistros habebas, quos inter praesertim Sergius Sobolevski Graecitatis Latinitatisque lumen illud atque decus

---

31 Nicolaus Fedorov: Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis Bucurestis MCMLXX a die 28 mensis Augusti ad diem 3 mensis Septembris. In: Aza Takho-Godi, Isay Nakhov (ed.): Voprosy klassicheskoy filologii-V. Pamyati professora Sergeya Ivanovicha Radtsyga posvyashchaetsya. Moskva 1973, pp. 228-239. Quod invenies sub:

<http://elar.uniyar.ac.ru/jspui/bitstream/123456789/3572/1/Fedorov%20N.A.f.%20De%20conventu%20Bucurestiensi.pdf>

32 Nicolaus Fjodorov: De latinorum litterarum condicione et usu in Russia saec. XV-XVI. In: VIII Conventus, Leuven-Antwerpen: Academia Latinitati fovendae, 1993.

33 Eam demum ob causam dolendum est eum in suprafato doctrinali suo linguae Latinae nihil omnino dixisse de Latinitatis vivae motu!

memorandus est. Quem doctorem secum audiens cuiusque ex ore pendens artem illam grammaticam ipsamque linguam Graecam necnon Latinam unice adamasti nec umquam temporis studiosissime colere desisti.

Magistri tui praeclari vestigia acerrime persecutus difficillimum laboriosissimumque idque praeclarum dulcissimumque munus linguarum docendarum suscepisti sollertemque te, immo vero admirabilem praeceptorem praestitisti. Temporis inclinatione suspendere hoc studium coactus animosus nihilo secius apparuisti acutum te iuris consultum praebens.

Restituta iam in statu pristino dignitateque sua philologia classica cohorti illi clarissimae alacri animo accrevisti. Quo ex tempore per quadraginta fere annos cathedrae philologiae classicae Universitatis Mosquensis socius litteras linguasque Graecam atque Latinam scite summaque cum sollertia docuisti discipulis disciplinae illius ardentissimum amorem concilians eosque compellens ad antiquitatem altius exquirendam atque pervestigandam [...]



*Prof. Dr Nicolaus Fedorov docens.*

Quis umquam dubitare potest, quin tu etiam nunc omnibus collegis tuis discipulisque semper consilio eos iuvare paratissimus sis? Quare re vera vir fortunatissimus putari potes. Nam quid felicius, quid optatius, quid denique gratius suavius dulciusque homini contingi potest conscientia bene actae vitae? Quae conscientia omnes absterget senectutis molestias eamque, ut Tullii verbis dicamus, mollem efficit et iucundam. Quid enim iucundius est senectute stipata studiis iuventutis, quid frequentissimo comitatu discipulorum, a quibus semper colitur diligiturque, fortunatius beatusque? [...]

Accipe igitur haec vota nostra sincerissima. Etiam atque etiam vivat valeat floreat. Macte virtute tua esto.»<sup>34</sup>

Anno autem 1987<sup>o</sup> Catharinam Sergii f.<sup>35</sup> uxorem duxit, ex qua ei anno 1988<sup>o</sup>

---

34 Vide: Stenogramma rasshirennogo zasedaniya kafedry klassicheskoy folologii MGU, posvyashchennogo 90-letiyu so dnya rozhdeniya A.N. Popova. In: Alexey Solopov (ed.): Voprosy klassicheskoy filologii - XV. ΝΥΜΦΩΝ ΑΝΤΡΟΝ. Sbornik statey v chest' Azy Alibekovny Takho-Godi. Moskva 2010, pp. 711-713.

35 Quae ab origine ultima stirpum Ivashev et Vyruhov generata ac cum gentibus Tolstoy et Turgenyev propinquitate iuncta est. Memoranda sunt nomina Basilii Ivashev (a. 1797 - a. 1840) Decembristae et uxoris eius Camillae Le Dentu (a. 1803 - a. 1839) Francogallae. Exstincta Decembristarum rebellione et Basilio ad tiremem damnato Camilla permissu





*Nicolaus Fedorov  
una cum Alexio filio.*

Alexius filius natus est. Nuper, anno scilicet 2013<sup>o</sup>, Maximilianus nepos lucem aspexit. Praeter Academiam Moscoviensem Lomonosovianam inde ab anno 1994<sup>o</sup> in studiorum Universitate humanitatis studiis provehendis professor linguae litterarumque Latinarum factus, at annis 1994-1998 in dicta a Sancto Iohanne apostolo studiorum Universitate Russica Orthodoxa decani munere functus est, annis autem 1990<sup>is</sup>

in Museo Graeco-Latino (a Georgio Anatolii f. Shichalin Moscoviae condito) linguam Latinam docuit eandemque ab anno 2003<sup>o</sup> usque ad hodiernum diem etiam in studiorum Universitate theologiae Orthodoxae in honorem Sancti Tychonis patriarchae Russorum vocata. Propter praeclara perennia facinora in humanitate necnon in philologiā classicā promovendā honoratus est Sancti Danielis ducis Moscoviae ordinis insigni tertiae classis, Sancti Sergii abbatis Rhadonezensis ordinis insigni secundae classis, Sancti Innocentii metropolitae Moscoviae ordinis insigni tertiae classis.

Itaque anniversarium eius nunciam recordantes iterum et saepius exoptamus, ut omnia ei Deo volente eveniant bona, fausta, felicia fortunataque!

ALEXIVS SLEDNIKOV

---

Nicolai I Imperatoris sponsum suum in Sibiriam secuta est Russice nesciens. Item Petrus Ivashev (a. 1767 - a. 1838) est nominandus, summus vigiliarum praefectus, qui bella Turcicum (a. 1787 - a. 1791) ac Patrium (adversum Napoleonem I Bonapartem gestum) participavit et amicus Alexandri Suvorov praeclari Russorum ducis fuit.